

1 2 3
1
2
3
1 2 3
4 5 6

DOCTRINÆ

EX

VARIIS SACRÆ THEOLOGIÆ FONTIBUS

SELECTÆ

QUAS

GUILLELMUS FOLEY E DIŒCESI HALIFAXIENSI

UNIVERSITATIS LAVALLENSIS

ALUMNUS

PRÆSIDE EMINENTISSIMO VIRO

ARCHIEP. QUEBECEN. CARD. TASCHEREAU

IN HONOREM DEI

ET

THOMÆ AQUINATIS LAUDEM

PROPUGNANDAS SUSCIPIT

Die 7 Martii A. D. 1889

DOCTRINÆ

EX

VARIIS SACRÆ THEOLOGIÆ FONTIBUS

SELECTÆ

QUAS

GUILLELMUS FOLEY E DIŒCESI HALIFAXIENSI

UNIVERSITATIS LAVALLENSIS

ALUMNUS

PRÆSIDE EMINENTISSIMO VIRO

ARCHIEP. QUEBECEN. CARD. TASCHEREAU

IN HONOREM DEI

ET

THOMÆ AQUINATIS LAUDEM

PROPUGNANDAS SUSCIPIT

Die 7 Martii A. D. 1889

DISPUTANTIUM NOMINA.

DEFENDENS:

GUILLELMUS FOLEY, AUDITOR
DISCIPLINÆ THEOLOGICÆ.

ARGUENTES:

R. R. D. D. HENRICUS ARTHUR SCOTT,
FERNANDUS DUPUIS,
PHILIPPUS BENEDICTUS GARNEAU,
PETRUS PLANTE.

THESES ET QUÆSTIONES.

Ex Theologia dogmatica.

I

Præeuntibus Divi Thomæ principiis circa beatitudinem confutatur illa Rosminii propositio nuper a Sancto Officio damnata, quod "Deus est objectum visionis beatificæ in quantum est auctor operum *ad extra*."

II

Semel ac fidei objectum, quum materiale, tum formale perspectum sit, haud ægrè colligitur non posse quæ fidei subsunt ab eodem simul esse scita et credita.

III

Supposito quod verbum Dei ruinas peccati reparare voluerit, humana natura, præ cæteris naturis creatis, dicenda est multiplici de causa assumptibilior.

IV

Baptismus ad salutem æternam consequendam est omnino necessarius : hinc 1° infantes quamprimum baptizari possunt, immo debent ; 2° nec, quum annos discretionis attigerint, interrogandi sunt utrum ratum habere velint baptismum jam susceptum ; 3° vero filii infidelium, invitis parentibus, valide—quamvis non semper licitè—baptizantur.

V

Ex Theologia morali.

De lege non scripta seu de consuetudine : definitio. Quotuplex est consuetudo ? Quænam requiruntur conditiones ut consuetudo vim legis habeat ? Quomodo abrogatur consuetudo ?

VI

De impedimento clandestinitatis : de vi decreti *Tametsi.* Quandonam promulgatum præsumi potest ? An decretum absque speciali indultu pontificio valide publicari possit aut potuerit extra parochias propriè dictas, puta, in sic dictis quasi-parochiis ? Qualis et quomodo debet assistere parochus celebrationi matrimonii ? Quinam est proprius parochus vagorum ?

VII

De revalidatione matrimonii : de modo procedendi ad revalidanda matrimonia irrita ob defectum consensûs, ob defectum formæ præscriptæ, ob inhabilitatem partium.—Quid est dispensatio simplex, quid sanatio in radice ? Quomodo revalidantur matrimonia, quando impedimenta *facto aliquo* cessant ?—Quomodo procedendum in foro tum interno tum externo quando revalidatio matrimonii fieri non potest, aut, si locum habere queat, quid agendum antequam fiat ? Quænam solemnitates in causis matrimonialibus requiruntur ?

VIII

Ex Jure Canonico.

De Hierarchia diœcesana : de Episcopo ; de Capitulo, de Vicario capitulari et generali, de Parocho, de Vicario.

IX

De judiciis : de foro competente, de appellationibus.

X

Ex Locis theologicis.

Ingens martyrum numerus eorumque in mediis suppliciis stupenda constantia validum sanè præbent divinæ revelationis testimonium.

XI

Contra Protestantes asseritur veram Christi Ecclesiam esse formaliter visibilem.

XII

Ex Scriptura Sacra.

Non obstantibus hodierni rationalismi cavillationibus assiduisque impugnationibus, quinque libros Pentateuchi a Moyse conscriptos fuisse ostendunt innumera ferè argumenta necnon invictissima, huncque Moysem, auctorem Pentateuchi, esse ipsum ducem atque Hæbreorum legislatorem.

XIII

Multiplicitas sensûs litteralis, in sacra scriptura, sub una eademque littera contenta certo demonstrari nequit ; proinde sententia altera, scilicet quæ tuetur unitatem sensûs litteralis suscipitur propugnanda, utpotè meliùs fundata, rationabilior et humanæ naturæ conditionibus magis accommodata.

XIV

Ex Historia ecclesiastica.

Hispanicæ inquisitionis scopus, indoles atque effectus sana mente judicantibus satis commonstrant nihil inde posse deprehendi quod jure ad vitium Ecclesiæ catholicæ vertatur.

XV

Civile romani Pontificis dominium historicè discutitur atque contra adversantium sophismata juridicè propugnatur.

Quebeci, 26 februarii 1889.

Imprimatur.

† E.-A. Card. Taschereau, Archpus Quebecen.